

1135

I C O D I C E S

1136

cleros grece latine fors aut hereditas dei &c. Sub finem inepte praetenditur *Christus* omnes gradus ecclesiasticos pervasisse.

Anterius *Codicem* ambiunt *Folia duo* membranea antiquissimi *Psalterii*, quod integrum multos *Ivones* valeret; scriptum est enim caractere quadrato, nullo paene vocum discrimine. Quod superest, *Psalmm LXX.* a v. 13. *LXXI.* integrum, et *LXXII.* usque ad v. 16. exhibet, non nulla a *Vulgata* differentia. Membrana postica manu *Sec. XII.* finem unius, et initium alterius *Homiliae* continet, quod est: *Diuina Scriptura fratres karissimi nos admonet aliquando ad lacrimas aliquando ad gaudium &c.*

CCXCVI. VII. f. 13.

469 Codex membraneus lat. *Sec. XIV.* Folior. 151. 4. probe exaratus, rubricisque distinctus complectitur, siquidem *Indicem* praefixum audias, *Epistolas Petri Blessensis* numero *CXXXV.* itaque duabus pauciores, quam *Cod. seq.* indicavimus; sed si opus ipsum inspicias, deprehenditur *Epistola I. ad Henricum II. Anglorum Regem*, quae vicem *Praefationis* obit, in censum *Indicis* non venisse. Habet porro *Index* hic illud commodi, quod praeter *Titulos* initia etiam singularum *Epistolarum* exhibeat. Procedunt eae aliquamdiu, prout in *Edit. Guffanvillana Paris. 1667.* f. sed ab *Epistola 34.* ordo diversus est. *Epistola ad Clericum*

Negotiatorem in *Edit. XVII.* p. 31. nobis vero *XV. fol. 20.* p. 2. idem hic habet in fine augmentum, quod *Cod. seq.* dedimus. Ita et *Epistola* in *Edit. CXXXIV.* p. 204. nobis autem *LXVIII. fol. 80.* prolixius *Exordium*, ut in *Cod. memorato.* *Epistolarum* nulla inedita est; est tamen, si comparisonem instituas, non nulla lectionis variatio. Ita *Epist. I. ad Henr. II.* *Edita: censuram potius expectantes quam gratiam expetentes*, rectius *Codex: gratiam expectantes potius quam censuram.* *Edit. diffusius et simplicius.* *Cod. diffusius aut simplicius vel inconsultius.* *Epist. II. ad Eund.* *Edita: pueriliter intabescit.* *Codex: intabescitis.* *Edit. Exemplum vobis dedit, ut et vos sequamini.* *Cod. nobis — nos sequamur.* &c. *Finem Codici* imponunt eadem, quae *Cod. seq.* diximus. Tum vero haec leguntur: *Anno domini M^o CCC^o quinquagesimo septimo proxima feria sexta post Jacobi finitum est hoc opusculum per manus eiusdem quem bene nostis et cet. Explicit hoc totum infunde — Carmen imperfectum, quod, si quid divino, desinebat in potum.*

CCXCVII. VII. f. 14.

Codex chartaceus lat. *Sec. 25^a* *XV.* Folior. 266. f. per duas *Columnas* nitide scriptus et rubricis distinctus olimque ad *Monasterium Mellicense O. S. B. in Austria inf.* pertinens hanc praefert notam: *Hic liber inceptus est 2 nonas*